



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

62. An servi possint esse testes? Ex p. 7. t. 7. r. 72. aliàs 71.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

RESOL. LXI.

*An serui validè contrahant, & obligentur?
Et quid si seruus promisit pecuniam pro libertate Do-
mino, an tunc concedatur actio aduersus il-
lum?*

*Eodem modo, si pactum fuit inter seruum & Domi-
num, ut propter pecuniam illum manumitteret, &
seruus soluit pecuniam, habet seruus actionem con-
tra Dominum, ut se manumittat, & alij diuersi
casus adducuntur, & explanantur pro praxi supra
dictarum questionum. Ex p. 7. tr. 7. Rel. 24.*

§. 1. **R**espondeo quod ex contractibus seruorum
siue cum dominis, siue cum aliis, non oritur
cuius obligatio, unde neque illis neque aduersus illos
datur actio in foro seculari, etiam postquam peruenerint
ad libertatem, *l. in personam, l. quod attinet, ff. de
reg. iur.* in quarum vltima dicitur, Quod attinet ad ius
civile, serui pro nullis habentur, non tamen ex iure natu-
rali, quia quod ad ius naturale attinet, omnes homines
aequales sunt, Excipitur, nisi seruus promisit pecuniam
pro libertate domino, tunc enim conceditur actio ad-
uersus illum *l. promissa C. an seruus pro suo proprio, & c.*
Promissa, inquit, tibi pecunia à seruo tuo, ut eum ma-
numiseris: si posteaquam manumissisti, stipulatus ab eo
non es, aduersus eum petitionem per in factum actionem
habet. Eodemque modo si pactum fuit inter ser-
uum, & dominum, ut pro certa pecunia illum manumit-
teret, & seruus soluit pecuniam, habet seruus actionem
contra dominum, ut se manumittat, *l. 1. §. seruos ff.
de offic. praef. verb. leg. vix ff. de iudic.*

2. Sed ex contractu seruorum, quamuis non
oriatur obligatio civilis, oritur tamen naturalis, unde
in foro conscientiae ipse tenetur stare contractui, &
vicissim qui cum eo contraxit, *l. quod attinet, cum ff.
de regul. iur. leg. serui ff. de actio & oblig. Ex contracti-
bus inquit civiliter quidem non obligantur, sed natu-
raliter quidem obligantur, & obligant. Hinc est, ut si
seruo dominus aliquid debebat, idque soluit postquam
fuit manumissus non concedatur domino repetitio;
quia soluit id ad quod naturaliter obligatus erat. Eo-
demque modo si quis nomine serui, vel ipse post ma-
numissionem soluat non conceditur repetitio, nec tenetur
fideiussor pro seruo soluere, *l. naturaliter, ff. de
condic. indeb.* Et ita etiam docet Fillucius tom. 2. tract.
5. cap. 3. num. 50. & 51. Sanchez in opusculo, tom. 1. lib. 1.
cap. 1. dub. 2. vbi sumat, quod seruus sine licentia do-
mini promittens aliquid vel aliter contrahens obliga-
tur naturaliter, & in foro conscientiae. Hinc fit, quod
in omnibus casibus in quibus liber homo teneretur
naturaliter, & civiliter, teneretur seruus naturaliter.
Et si seruus se obliget dando fideiussorem, tenetur
fideiussor naturaliter & civiliter: quia fideiussio po-
test accedere naturali obligationi. Sed circa praesentem
questionem ne deseras etiam videre nostrum Mega-
lam in 2. 2. lib. 2. c. 5. q. 4. n. 86 & seq.*

3. Dicendum est igitur quod de iure naturali acti-
uam & passiuam obligationem seruus habet; nam etsi
seruitus ea, quae sunt iuris civilis, tollat, tamen ea, quae
sunt iuris naturalis, inuolata relinquit, ut in *l. quod at-
tinet, ff. de reg. iur. & iuxta §. Sed naturalia institut. de
iur. nat. gent. & civ.* Inde fit, ut in conscientiae foro tam
ipsi serui, quam illi, qui cum illis contrahunt, siue
sint domini, siue extranei ad obseruationem contra-
ctus teneantur.

RESOL. LXII.

*An serui possint esse testes? Ex parte 7. tract. 7. Rel. 7.
alias 71.*

§. 1. **D**E hac quaestione vide Farinacium de Te-
stibus q. 55. in spec. 2. n. 165. cui adde Dic-
nellam lib. 25. c. 9. Rithersulfum in Nouellis Injunctis
n. par. 9. cap. 22. n. 22. Dicastrum de Inst. lib. 2. tit. 1.
disp. 8. dub. 3. num. 25. qui omnes negativè respondent
ex leg. quoniam liberi, C. de Testament. & in leg. praedicta,
C. de quaestio. quod tamen limitatur in aliquibus ca-
sibus, quos ponit Farinacius vbi supra, & praedictum
quando veritas aliter haberi non potest, ut assertum legitime
consultus in *l. serui, ff. de Testibus, & probat. Mafcardus
de probat. concl. 1358. n. 18.* Idem dicendum est in
criminibus exceptis, ut notat idem Mafcardus vbi su-
pra, n. 19. Unde in nostro sacro Tribunali sanctae In-
quisitionis, serui recipiuntur ad ferendum Testimo-
nium etiam absque tortura.

RESOL. LXIII.

*An serui possint testamentum facere?
Et an mancipia, & Christiani capti à Turci,
possint etiam in statu, & loco captiuitatis tes-
tamentum facere? Ex parte 7. tract. 7. Rel. 71.
alias 50.*

§. 1. **R**espondeo cum Eminentissimo Cardinali
de Lugo de Inst. tom. 2. disp. 24. scilicet q. 2. §. 1.
seruum testari non posse, nec si testetur valere illud tes-
tamentum, etiam si postea liber fiat, quia factum est
non habente legitimam voluntatem, imò licet nec
iam ipso ignorante, vel dubitante, liber factus et de-
testamentum non valet, *l. qui testamentum domini, & l. q. 1.
& l. filius familiae, 2. ff. de testam. val. tamen illud tes-
tamentum ad causas pias, si verè liber iam erat, quan-
do illud fecit, ut probat Molina disp. 137. Captiuus etiam
bello iusto apud hostes, vel obles, qui est in loco capti-
ui in eo statu non potest testari: si tamen antea tes-
tamentum fecisset, siue mortuo testatore possit li-
bertatem iure postliminij, siue etiam in eo statu, & vbi
instit. quibus non est permittum facere testamentum, leg.
eius, leg. ob fides, & alius ff. de testam.*

2. Sed Thomas Mauilius tract. de testam. tit. 2. num.
44. ponit aliquas exceptiones, & asserit seruum conde-
re posse testamentum. Primum, si hoc ei per aliquod sta-
tutum permittatur. Secundò si dominus seruo id per-
mittat. Tertio, si ad pias causas testatur. Quarto si liber
decedat.

3. Obserua tamen quòd licet non valeat testamen-
tum factum à captiuis, in loco captiuitatis, etiam si po-
stea redierint. Sed hoc non intelligitur, ut bene aduertit
Amicus de inst. & iure disp. 19. scilicet 3. n. 56. & Molina
disp. 37. de mancipiis Christianis captiuis à Turcis, qui
hi testari possunt etiam in statu & loco captiuitatis.

RESOL. LXIV.

*An serui inuitis Dominis, possint eligere sepulturam?
Et an Dominus teneatur facere expensas circa fun-
serui?*

*Et an pro seruo tamen impubere Dominus possit eligere
sepulturam?
Quod idem dicendum est de seruo pubere, si puber, ser-
uus illum non elegit. Ex p. 7. tr. 7. Rel. 75. alias 74.
§. 1. Aff.*